EILHARDI LUBINI

IN

Q. Horatij Flacci EPISTOLARUM LIBRUM SECUNDUM

PARAPHRASIS SCHOLIASTICA.

ROSTOCHII
Ex officina REUSNERIANA.
cIↃ IↃ Ic.

EXIMIÆ INDOLIS
atq; ſpei adoleſcenti,

BERNHARDO CLIN-GIO,

Clariſsimi atq; ampliſsimi viri
DN. BARTOLOMAEI CLINGII I. V. D.
& Profeſſoris in Academiâ Roſtochienſi,
eximij & benè meriti,
filio cariſſimo,
S.

CVM hiſce meis in Horatium lucubrationibus & laboribus egregiorum & eximiorum juvenum, qui in hiſce politioribus litteris probè inſtituti, & inſtituendi ſunt, patrocinium & amicitiam ambire, conſtituerim; Tu quoque inter alios non immerito te mihi obtuliſti, BERNHARDE politiſsime. Vt enim eximij illius parentis tui præclara multa in me merita, quibus tale grati animi ſpecimen jamdudum debebam, ſilentio prætercam: Eximia tua indoles ex tam ingenuo vultu & liberali fronte emicans, non trivialibus diſciplinis, aut vul-

 garibus

garibus ſtudijs nata, non obſcurè me admonet, quamvis ſponte ad optima, optimi parentis exemplo, feſtinanti calcar addere, & hunc imprimis auctorem graviſsimum de meliori notâ commendare. Tu igitur adoleſcentum politiſsime, hoc quidquid eſt munuſculi æqui bonique conſules, tibique commendatum habebis, nec in hoc politioris litteraturæ contemtu, & ingruente rurſus barbarie, te cum plerisque tanquam rapido torrente tranſverſum abſtrahi patiêris; hoc eſt parentem tuum virum eximium, deque hâc Academiâ & multorum ſtudijs jam quadraginta & pluribus annis præclariſsimè meritum & merentem imitaberis. Quem ut omnis Virtutis & Honeſtatis, ſic Sapientiæ etjam, & doctiſsimæ litteraturæ vivam Ideam & exemplar, ut accuratè tibi ſequendum propones; ita omnium tuorum de te exſpectationi ac deſiderio abundè ſatisfacies. In quo voto & omine epiſtolam claudo, teque cum ſuaviſsimis tuis parentibus diutiſsimè & feliciſsimè Salvere & Valere jubeo. Roſtochij 15, Aprilis Anni 1599.

EILHARDVS LVBINVS.

EILHARDI LUBINI IN Q. HORATII FLACCI LIBRUM EPISTOLARUM SECUNDUM, PARAPHRASIS SCHOLIASTICA.

EPISTOLA PRIMA AD D. AUGUSTUM CÆSAREM.

CUm *tantam imperij molem*, tot ac tanta *tamq; ardua* negotia *in terrarum orbis administratione* sustineas, *Dive Auguste* Cæsar, *ita ut jam post collegam Lepidum mortuum*, & M. *Antonium armis devictum*, & *imperio vitaq; exutum unus* & solus res Italas & *Romanum imperium* armis *belli defendas* & tuearis, *rectâ disciplinâ*, *bonis institutis* & moribus exornes, *ac decores*, & legibus *deniq; optimo imperio debitis ministres, corrigas*, & emendes: *Certè* in *rem*, & commoda publica graviter peccem, & *delinquere mihi videar*, si tempora tua *gravissimis* & *utilissimis* Reipub. *negotijs impendenda* longo sermone, *aut verbosâ aliquâ Epistolâ multùm diuq;* remorer, *atq; detineam.* *Talia enim atq; tanta tua sunt in imperium* Romanum *merita,ut illud quod inter mortales nulli unquam contigit, primus inter mortales consecutus esse videaris*: *Vtpote qui virtute tuâ invidiam,* & *factorum magnitudine mortalitatem superâsti.* *Quippe tu illud vivus, videns,* & *præsens consecutus es, quod alijs post mortem demum obtigit.* *Nimirum* Romulus *ille* Romani *nominis pater,* & *urbis fundator, qui post mortem demum Quirinus dictus*, & *Deus habitus est.* & *Jovis ille Semelesq; filius* Liber pater, *vel Bacchus*, & *Iovis Lædæq; filius* Pollux, cum Castore *fratre, optimè de mortalibus meritus; illi qui* post ingentia facta, & *præclara in mortales merita* in deorum templa recepti, *interq; Deos in cælum post mortem relati*

ſunt; *Illi, inquam*, dum *vivunt*, *&* terras, hominumque genus colunt, *res præclariſsimas gerunt*, aſpera bella *inter homines ſedant &* componunt, *concordiam inter homines pacemq́ conciliant, in vacuas regiones colonias diſtribuunt, inhabitatoribus* agros adſignant, opida *urbesq́* condunt, *hominesq́ ferarum more in ſilvis vagantes eloquentiâ & prudentiâ ſuâ ad urbes inhabitandas, & civilem ſocietatem colendam concitârunt, Valdè indignati ſunt, & penè* ploraverunt *ob hominum ingratitudinem parem* favorem, *& æqualem honorem*, *atq́ amorem*, quem ſperaverant non reſpondere *præclaris* ſuis *in mortales* meritis. *Quin ipſe Iovis & Alcmenæ filius* Hercules, qui, *ut Poëtæ de ipſo memorant*, diram Hydram *in Lernâ palude clavâ ſuâ* contudit, *atq́ interemit*, & labore *à Deâ Iunone imperato &* fatali *monſtra &* portenta *in mundo* nota, *& formidabilia* ſubegit, *& profligavit*, *ille ſuo demum exemplo cognovit &* comperit, *livorem demum poſt fata quieſcere, &* invidiam, *quæ in vivis paſcitur*, ſupremo *demum mortis* fine *quieſcere, vinci*, *&* domari. *Ille* enim qui *eo virtutis*, *& animi magnitudinis aſcendit, ut faciat aliis non facile imitanda*, *& qui aliorum præclara facinora infra ſe quaſi ſubjecit*, *& aliorum egregia facta egregias* artes, *jam* infra ſe *ſubjectas &* poſitas, *præclarioribus artibus* prægravat, *ſuâq́ præſtantiâ ſe inferiores artifices onerat quaſi & opprimit*, *ut ſibi exæquari amplius nunquam poſsint, ille alios ſuo ſplendore* urit *quaſi, & dolore adficit, aliorum oculos* fulgore ſuo *perſtringit*: *Hinc livor & invidia in viventibus. Verum* idem *ubi* exſtinctus *fuerit*, *& ex oculis hominum ſublatus, ibi demum ab omnibus* amabitur, *& coletur. Nos verò contra* Romani, tibi, *Auguſte Cæſar, viventi*, præſenti, *& videnti, divinos honores* largimur, *& decernimus*, *quos alij poſt mortem demum conſecuti ſunt. Divinos, inquam,* honores *viventi tibi, eosq́ ſatis tempeſtivos &* maturos, *quamvis te vivo*, *ut mors tua exſpectanda non fuerit, quâ illi honores tui quaſi matureſcerent*; araſque *in honorem nominis tui ponimus & erigimus*, per *ſanctum* tuum *tanquam Dei* nomen *& numen jurandas, ad quas, quibus juramentum delatum fuerit, jurabunt*: Fatentes *interea, quod* tale, *quale tu es*, *& tibi ſimile*, nihil *unquam in mundo* ortum *ſit*, nihil aliàs *unquam ſit* oriturum. Sed *quanquam Romanus ille* tuus populus *in hoc uno & ſolo bene judicat &* ſapiens *eſt*, in hoc uno juſtus *& æquus eſt*, dum *pro meritis tuis juſta tibi attribuit, teq́ Romulo, Numæ, alijsq́ regibus &* ducibus noſtris, *& Herculi*,

culi, Castori, Polluci, Baccho, alijs Grajis ducibus antefert, *dum tibi viventi digna persolvit, quæ alijs demum post mortem:* Cetera *tamen & reliqua* simili modo & ratione nequaquam æstimat *& dijudicat; qui ut vel maximè te unum & solum viventem adhuc in precio & honore habeat, in reliquis omnia præterita & defuncta præsentibus præfert, & omnia* fastidit, *omnia* odit, *& aversatur,* nisi quæ *jam mortua,* terris semota, *ex hominum conspectu sublata,* suisque temporibus defuncta *jam, & præterita* videt. *Nimirum qui* sic *amat antiqua, adeo admiratur præterita, talis atq; tantus* fautor *est omnium* veterum, ut *quæcunq; vetera tantum sunt sancta & divina esse judicet, ut duodecim* tabulas, *& antiquas leges jus Romanum continentes, &* peccare vetantes, quas Decemviri *olim* sanxerunt: *Vt antiquißima illa* regum *Romanorum* fædera, *quæ* vel Tarquinio *superbo rege cum* Gabijs, vel cum rigidis *duris, & pertinacibus* Sabinis *diuturna bella cum Romanis gerentibus justis tandem conditionibus* æquata *& icta sunt*, *Vt* Pontificum libros *à Numâ de sacrificijs scriptos*, *& deniq; ut* annosa vatum volumina, *antiquißima Poëtarum carmina, non hominum opera esse* dictitet, *sed ipsas novem* Musas in Albano monte *illa* locutus *fuisse, & elaborâsse. At verò si quis objecerit, ut apud Græcos quo quæq; antiquiora, eo meliora, ita etjam apud Latinos: respondeo longè aliam rationem esse. Græca enim lingua etjam à linguarum initio semper fuit politißima, & quo antiquior, hoc melior: Contra Romana lingua, Trojanorum, Sabinorum, Gabiorum, Oscorum, aliorumq; populorum confusione exorta & commixta, initio rudis & pæne barbara cum tempore perficitur, & expolitur. Ac proinde,* si *quis dicat, quod* quia Græcorum vel antiquissima quæque scripta optima sunt, Romani scriptores *antiquißimi* eâdem *libræ lance* pensandi, *eadem* trutinâ *judicandi* sint: Non est quod *hisce absurdißimis refellendis* multa loquamur, *multumq; verborum insumamus: Idem enim est ac si dicerem:* Intra oleam, *arborem sub cortice* nihil *est duri, &* extra in nuce, *ejusq; putamine* nihil est duri. *Tum enim perspicuè vera negarem, & perspicuè falsa adsererem. Nihil n. certius, quàm intra oleam os esse, nihil apertius, quàm extra in nuce putamen durum esse. Vt a. hæc absurda: ita non minus absurdum Latinam linguam cum Græcâ comparare velle. Quod profecto perinde etjam foret, ac si dicerem: Nos Romani* ad summum fortunæ venimus, *ut illa amplius quidquam nobis addere non poßit: nos Romani* pingimus,

 psal-

psallimus & luctamur, *longe melius rectius & doctius*, quàm *ipsi* Achivi, *qui luctantes* unguento *sunt* delibuti; *sumus, inquam, meliores pictores, meliores cantores, meliores Palæstritæ ipsis Achivis, quod quidem, non minus absurdum est illis superioribus. Nos enim Romani ut in his artibus & certaminibus, ita in linguis potißimum à Græcis superamur.* Quod si, (*ut Romani credunt*) dies *& vetustas temporis non aliter* ut vina meliora *solet reddere, ita etjam* poemata *pretiosiora* reddit; scire velim, quotus annus, *vigesimus, septuagesimus, aut centesimus ipsis* chartis *poetarumq; versibus* pretium arroget; *quanto demum tempore carmen vetus laudabile & pretiosum sit habendum, & hunc antiquitatis laudem titulumq; consequatur. Age ergo* qui scriptor *retro* abhinc centum annis decidit, *qui poëta ante centum annos mortuus est, illene* debet referri inter veteres perfectos *& laudabiles scriptores*; an *verò* inter viles *contemptos* atque novos? *Necesse enim est certum annorum finem & metam constitui, quâ dignoscatur vetus an novum poëma sit, ut ita hæc meta, hic finis constitutus omnem disputationem, contentiones &* jurgia *de carminis antiquitate & nobilitate decidat atq;* excludat. *Nimirum hic respondebis certamq; vetustatis metam determinabis, & dices: ille Poëta qui post mortem suam centum annos* perficit, *vel potius* quē centum anni *perficiunt & probatum reddunt, ille jam* vetus est, & *ob id* probus, *& laudandus est. Verum enimvero ulteriùs insto & interrogo*: quid? qui *Poeta* uno mense vel *uno etjam* anno *minor existens centum annis mortuus est &* deperijt, *& cui unus mensis vel annus deest quo minus ante centū annos mortuus sit,* inter quos *ille* referendus erit? an *inter* veteres *& probatos* Poëtas, an *verò inter illos qui novi sunt, &* quos, & præsens, & postera ætas *ob novitatem* respuit *& rejicit? nempe hic respondebis.* Ille quidem *Poëta*, qui vel brevi mense *etjam* toto anno junior est *centum annis, rectè quidem &* honestè inter veteres *& probatos Poëtas referetur ac* ponetur. *Quoniam verò hoc mihi concedis age hâc concessione, hoc* permisso, *quod unus vel alter annus ad hanc antiquitatem nihil momenti habeat,* utor, & *velut si quis* equinæ caudæ pilos *vel setas singulas* paulatim *extrahat, paulo post totam caudam extrahet, ut nullus pilus amplius restet: ita etjam ego illum centum annorum numerum singulos annos paulatim subtrahendo,* vello *quasi & subduco*, & demo unum *annum*, demo etjam *adhuc* annum *annum, & ita consequenter, donec nullus amplius annus remaneat,*

& dum

& dum ille qui ad *vetustatem carminis, & fastos quasi consulares, quibus singulorum annorum res gestæ perscribuntur*, redit, & annorum multitudine *dignitatem*, *bonitatem &* virtutem *carminis* æstimat, & nihil *magnum existimat, nihil* miratur, nisi *quorum auctores jam mortui & sepulti sunt, & quæ ipsa mors &* libitina *auctorum suorum morte* sacravit, *& sanctum honorandumq;* reddidit; *dum, inquam, talis veterum admirator absurditatis convincatur, &* ob rationem quâ *continuá unitatis subductione* acervus *centum annorum paulatim* ruit, *& ad nihil redigitur*, elusus *atq; deceptus* cadat, *seq; victum confiteatur.* Certè qui *in antiquorum Poetarum lectione horrida multa & inculta non animadvertit nimis stupidus est carminum censor. Nam ut de omnium primis & principibus Poetarum inter Latinos dicendo initium faciam: Ipse* Ennius, *qui* ut Critici *scriptorum censores* dicunt, & *ob ingenij acumen* sapiens, *ob ejusdem robur* fortis *& animosus habendus est,* & *qui* alter Homerus *haberi voluit, quippe cujus animam sese in somnis accepisse, per Pythagoricam Metempsychosin videri volebat: ille, inquam, Ennius non usq; adeo sollicitus & curiosus est in carminibus suis pangendis.* Imò *adeò negligenter, adeò temerè sæpè carmina sua effudit, ut sui ipsius pœnè oblitus fuisse videatur, atq; adeò negligere, vel saltem* leviter videtur curare, quo *amplæ suæ pollicitationes* cadant, *quorsum magna illa* promissa *tendant, quem successum habeant*, Pythagorica *illa* insomnia, *quibus ex opinione Pythagoræ videri voluit in somnis Homeri animam accepisse. Certè adeo negligens est, ut parum videatur curare, ecquid illud præstet, quod pollicitus sit, an verò non: Num verè Poematis Homerici dignitatem exprimat suo carmine, an verò longo intervallo ab Homero superetur. Interea tamen, quamvis vetusta parum sæpe accurata & expolita sint,* vetus *tamen* omne Poema, *quodcunq; sit*, adeo sanctum, *adeo honoratum habetur, ut* Nævij, *qui Ennio longè antiquior fuit, & versus rudes & indoctos condidit librorum auxilio amplius non egeat, &* in manibus *amplius* non est, *& versatur, sed totus ediscitur,* & in mentibus *animoq; hominum, & memoriâ* hæreat, *ut quamvis vetustissimus sit, novus tamen, &* recens pæne *esse videatur.* Quoties *autem inter homines doctos controversia oritur, &* ambigitur uter *Poëta* utro *alteri Poetæ dignitate & excellentiâ carminis* prior sit, *& præferri debeat:* Tunc Pacuvius *obtinet laudem &* aufert famam docti; *& eruditi* senis. Attius *verò nomen* alti, *& sublimis, utpote cujus altitudo & grandiloquentia nimia sit,*

Afranij Latina Togata fabula, vel Comœdia, Menandro Comite, ejusq; Græcis Palliatis fabulis convenisse, & æqualis fuisse dicitur: Accius autem Plautus ad exemplum, imitationemq; Epicharmi Poetæ Siculi properare atq; currere perhibetur. Porro Cæcilius gravitate rerum & verborum, Terentius vero arte, & carminis elegantiâ alios vincere, & superare existimatur. Hos vetustißimos, quos enumeravi, Poetas, tanquam pro solis Poetis habendos, cives Romani, atq; adeo tota potens urbs Roma densis & arctis theatris constipata & plena audit, spectat, & ediscit; Hos nimirum, quos dixi, Nævium, Ennium, Pacuvium, Attium, Afranium, Plautum, Cæcilium, Terentium, solos Poëtas inde ab ævo & ætate antiquißimi scriptoris Poetæ Livij Andronici, qui primus Comœdias scripsit, usq; ad nostrum tempus habet, atque solos numerat. Vt autem populi Romani judicium non semper reprehendo, ita neq; semper illud probo. Vulgus enim interdum rectum & verum videt; Est etjam interdum aliquid ubi peccet, erret, & labatur. Quod si veteres propterea tantum quia veteres sunt, laudat & usq; adeo demiratur, ita ut nihil illis anteferat; nihil cum ipsis comparet, vehementer errat: Non enim statim quod antiquum est bonum est, omnibusq; suis numeris absolutum. Quod si idem populus contra veteres illos non omnia proba & perfecta scripsisse judicat, Et antiquos eos quædam nimis antiquè & obsoletè esse dicit, pleraque nimis durè & impolitè scripta credit, & deniq; eos in carminibus suis multa ignavè & oscitanter dicere, minusq; accuratè scribere fatetur; Tunc Romanus populus sapit & mecum facit, idem quod ego sentit; & Iove quasi æquo & propitio rectè judicat, & sanum juxta mecum consilium habet. Nihil autem est, quod quis existimat, me ex invidiâ quâpiam, & malivolentiâ hæc in veteres loqui. Certè ego Livij Andronici antiquißimi Poetæ versus non hostili more insector, & tanquam vana & vilia omnino abolenda, & delenda esse reor; Nempe quæ carmina puer sub præceptore didici, & memini Orbilium sævum & plagosum meum præceptorem mihi Horatio parvo adhuc puero dictare, & explicare: Sed hoc demiror illa plerisq; videri absoluta, emendata, expolita atque pulcra, & ab exactis accuratißimis & elaboratißimis Poematis minimo tantum intervallo distantia. Inter quæ Livij Andronici carmina si forte verbum unum atq; alterum decorum, & venustè positum excelluit & emicuit, si forte unus & alter versus paullo

con-

concinnior, *& venustior emicuit*: injustè *ob id* totum Poema *producit, ostentat*, venditat, *& jactat. Hoc enim hâc ætate nostrâ potissimum* indignor, non *carmina vel Poemata* reprehendi, quia *in eis* aliquid *pingui Minervâ*, crassè, atque illepidè *compositum esse* putetur; sed quia nuper *& paullo ante compositum, non doleo carmina contemni, quia mala & indocta sint, sed quia nova*; & quod *ipsis* antiquis *& vetustissimis Poetis* non *ob vitia sua* venia *potius expectatur*, sed honor *potius*, & præmia exposcantur, *tanquam pro exactissimis Poematibus. Sanè quibus non tam meo judicio præmia & honores pro paucis quibusdam versibus concinnioribus debentur, quàm pro multis erratis venia. Interea tamen vetera illa in tanto honore passim habentur ut qui de illorum perfectione vel tantillum dubitare ausit homo impudens & malus continuo judicetur.* Nam si dubitem, *vel in dubium vocare ausim anne Attij antiquissimi Poëtæ Comici* fabula *perfecta sit, & in scenâ jure atq; merito recitetur, ibiq;* crocum flores, *& alia, quibus scena respersa est* rectè *& laudabiliter* perambulet, *& ibi cum laude*, an verò non, *agi & spectari possit; tunc* cuncti pæne patres Romani, *qui adessent*, clamarent, *me impudentem esse, qui AttI carmina in dubium vocare ausim; & frontem atq;* pudorem *meum omnino* perijsse, cum ea conor reprehendere, quæ *à nobilissimis histrionibus adprobata fuerunt, & quæ* gravis *ille* Æsopus *histrio*, & doctus *ille* Roscius, *Comædiarum actor sæpissimè* egit, *populo Romano in theatris exhibuit & approbavit. Et in hoc vitium incidunt Romani ex miro sui amore*, vel quia *nisi quod ipsi faciunt*, nil rectum putant, *& nihil bonum & approbandum esse* ducunt, nisi quod sibi *& accurato suo (si Dijs placet) judicio* placuit; Vel quia turpe, *& ignominiosum sibi fore* putant, *veteres avias relinquere, à suis opinionibus recedere*, minoribus *& junioribus rectius sentientibus* parêre, & quæ *illi cum juves adhuc &* imberbes *essent* didicerunt, *illa* confiteri *cum jam* senes *sint, quod* perdenda *& negligenda sint, ea in senectute esse dediscenda, & tanquam inutilia esse abjicienda, illisq; meliorem juniorum sententiam esse perferendam. Verum* jam *isti, odio magis recentum, quam amore veterum tam iniquè de rebus judicant.* Nam qui carmen Saliare Numæ *Pompilij, quod ille Salijs Martis sacerdotibus canendum constituit*, laudat, & illud *Poema vetustissimum pariter & obscurissimum*, quod *juxta* mecum *non intelligit, sed* ignorat, videri vult solus, *atq; unicus cognoscere atq;* scire: Ille non *facit hoc, quod*

inge-

ingenijs *illorum*, qui *jam mortui*, & sepulti *sunt bene cupiat*, *aut veteribus ante multos annos mortuis* faveat & plaudat; Sed *nobis recentioribus tantū adversatur*, nostra *scripta* impugnat, nos & nostra *carmina tanquam invidus* & lividus odit & *aversatur*, *non aliam ob caussam*, *quam quod nova sunt*. Quod si *omnia nova atq; recentia viventium scripta*, *atq; ipsa adeo* novitas *ipsis* Græcis (*apud quos vetustiora tamen meritò novis præponuntur*.) tam invisa & *odiosa* fuisset, quàm nobis: *Age quidnam unquam apud Græcos novum olim scriptum fuisset*, quod nunc esset vetus, (*Nemo sanè aliquid scripsisset, quod contemtum iri credidisset, ab illis, quibus cum viveret*) aut quid*nam* publicus usus quod viritim legeret, aut *per singulos viros in manibus* tereret, *atq; versaret?* *Certè nihil esset publicum. Quippe nihil vetus est, quod non itidem aliquando fuerit novum. Est autem operæ precium cognoscere quomodo ex otio & secundâ fortunâ variarum artium studia in Græciâ nata sint. Equidem* postquam Græcia *varijs jam* bellis *finitis atq;* compositis primùm cæpit *ocium agere*, nugari, *rebus levibus*, *artibusq; ludicris operam dare*, per *æquam atq;* secundam fortunam *amissâ virtute* in vitium *pro*labi: *Omnis generis exercitijs*, *artibusq; ludicris & voluptatibus vacavit*, nunc athletarum & *palæstritarum*, nunc equorum studijs arsit, *atq; detenta fuit*, fabros marmoris, eboris, atque æris *artificiosos* amavit, *pictores cum stupore demirata est*, & *vultum pariter*, & mentem atque *intentam* animi *considerationem* ad tabulam *aliquam ingeniosè* pictam, *quam intentissimè intueretur*, suspendit: Nunc *in Comœdijs* tibicinibus, nunc *verò* Tragædis gavisa fuit: *Nimirum varijs ludis lasciviebat*, & velut infans *quædam* puella sub nutrice luderet, & *varia puerilia*, *atq;* nugacia *tractaret*; *illud* quod *paullo ante* cupidè *desideravit*, *atq; appetijt*, *illud paullo post*, *cum* plena *jam & satiata esset*, *cito atq;* maturè reliquit, & *pueri instar ab uno ludo ab alium brevi temporis momento transijt*. Quid *enim homini tanto opere* placet, aut *quid contra tantopere* odio est, quod non credas *esse* mutabile? *Nihil enim*, *quæ hominum est mutabilitas & inconstantia*, *perpetuò placet*, *nihil semper displicebit*. Hoc *ergo*, & *talia quæ dixi*, *omnis generis exercitia*, *ludos*, & *delitias* bonæ paces, & venti *ipsius fortunæ prosperi atq;* secundi habuere, *secumq; tulerunt*. *Vnde paullatim infinita artium varietas*, & *studiorum diversitas enata est*. *Poeticæ autem studium non multis ante seculis* Romæ *coli captum est*. *Nam ipsis* Romanis

diu

diu *gratum* & dulce fuit, *longiſſimo tempore* ſolenne *& uſitatum*, matutino *tempore* domo reclusâ *aut apertâ* vigilare, *forenſibus negocijs incumbere, jura ac leges addiſcere*, clienti *&* *conſulenti* jura depromere *ex legibus & ſtatutis*, *mercaturæ & rei domeſticæ operam dare*, nummos cautos *& ſub chirographo datos* rectis nominibus, *viris bonis & fide dignis* expendere, *& locupletibus debitoribus collocare*, *& elocatæ pecuniæ acceptis pignoribus cavere*: majores *& prudentes* audire, *eorumq́; conſilium ſequi*, minori *conſilium dare*, *& talia* dicere *vel facienda vel omittenda*, per quæ *facultates &* res *familiares* poſsint creſcere *& augeri*, *& contra* damnoſa libido, *& omnium malorum mater voluptas poſſit imminui.* *Hanc tam præclaram* mentem, *hæc tam præclara majorum vitæ inſtituta & conſilia ſequens* Populus *Romanus* levis *& inconſtans* immutavit, & uno *carminis* ſcribendi ſtudio calet, *imò fervet & flagrat, adeo ut* pueri *juxta leves*, & ſeveri patres comas fronde *hederâ tanquam poëtæ* revincti *& coronati*, *paſſim in convivijs* cænent, & carmina *miniſtris ſuis ſcribenda* dictitent. *Atq;* ego *Horatius adeo* ipſe, qui me *è Poetarum numero eximo*, *&* nullos verſus ſcribere adfirmo, *ego* invenior *ipſis* Parthis mendacior *& fallacior eſſe.* *Nam velut ipſi fingunt ſeſe fugere, & nolle pugnare cum vel maximè pugnant: ita ego quoq; quando nullos verſus me adſirmo ſcribere*, prius quam ſol oriatur vigil*ans, animumq́; carminibus ſcribendis intendens per miniſtros meos* calamum & chartas *ut verſus ſcribam*, & ſcrinia *in quibus quæ ſcripſi recondam*, poſco. *At verò quænam hæc noſtra Romanorum temeritas, qui non ſatis exploratis ingenij noſtri viribus, ad ſcribendum properamus? Et ceteras quidem artes nemo profitetur niſi qui artifex eſt; ſic qui* navis *atq; navigationis, ipſiusq; maris* ignarus *eſt, ille* navem agere *atq; gubernare* timet: *in medicinâ*, nemo abrotonum *aut aliud ex herbis medicamentum*, ægroto dare audet, niſi qui *artem medicam* didicit. *Nimirum quam quisq; novit artem, in hâc ſeſe exercet; &* medici promittunt *illud*, quod medicorum eſt, fabri tractant *illa, quæ ſunt* fabrilia. *At contra perversâ noſtri temporis conſuetudine non* docti *ſolum, ſed* indocti *etjam* poemata paſsim, *&* carmina ſcribimus. *Quamvis autem hoc tamq́; præproperum laudari non poſſit, ſuâq; reprehenſione non indignum ſit*; tamen *nihilominus* hic error, & levis hæc inſania, *quâ multi ſcribunt quæ non poſſunt etjam ſuas utilitates, ſua commoda conjuncta habet*, *Adeoq;* quas virtutes *hæc*

 res ha-

res habeat, sic *mecum* collige. Vatis *aut Poetæ cujusdam* animus non temerè avarus, *non facile injustus* est. *Quippe ille non opes aut honores, sed* versus amat. Hoc unum studet, *& huic se totum tradit & mancipat. Porro omnia incommoda,* detrimenta, *adversam fortunam, damna & nocumenta moderato animo patitur, &* servorum fugas, *furta, domesticos casus,* incendia, *& alia vitæ dispendia alto animo* ridet *& contemnit, in contractibus, ut aliàs in totâ vitâ humanâ, vel* socio *suo* vel puero pupillo, *quem avari tutores miserrimè circumscribunt,* nullam fraudem incogitat, *nullum dolum molitur aut meditatur, sed bonis suis, & paucis contentus vilibus leguminibus &* siliquis, & secundo pane *dispensatorio & furfuraceo contentus* vivit. Quanquam *autem Poeta* militiæ *inutilis* piger *segnis* atque malus *est* urbi *tamē* utilis *est, civilibus negocijs plurimùm prodest, patriæ commoda auget, atq; adeo honestos mores animis civium inplantat. Profectò* si hoc *mihi* das *& concedis, ô Cæsar,* parvis rebus quoque magna *adjuvari, & ad administrationem Reipub. puerili institutione juventutis plurimum momenti accedere, intelligis Poeticen etjam ad res maximas esse longè utilißimam. Quippe* Poëta *alicujus* pueri *discipuli sui* tenerum *debile* atque balbum os *confirmat, fingit &* figurat, *ut rectè & emendatè loquatur,* jam nunc *à puero* aurem *pariter & oculos discipuli sui à turpibus dictis ac factis,* ab obscænis sermonibus *& carminibus* torquet *& avertit.* Mox etjam pectus *ejus* amicis *jucundis & honestis* præceptis format *& imbuit,* corrector *pravorum adfectuum, castigator omnis sævitiæ &* asperitatis, *omnis* iræ atq; invidiæ *& omnium deniq; pravorum adfectuum, quæ in discipulo animadvertit. Præterea* rectè *& honestè* facta refert, *literis mandat, laudat & versibus illustrat, præsentia,* orientia *& nascentia* tempora *præteritorum temporum* exemplis notis *atq; evidentibus* instruit, *suæq; ætatis homines de futuris commonefacit. Monstrat deniq; quo animo omnia adversa perferenda sint, & dulcißimis versibus conso*latur inopes, ægros, *& jam cum morte colluctantes. Quid de alijs dicam, quod Poetarum beneficio carmina sæcularia laudes Deorum & publicas preces ad Deos immortales, quibus imperij Romani salus & incolumitas retinetur, consequimur.* Vnde *enim* puella *aliqua casta &* mariti ignara cum castis *& ingenuis* pueris *diebus festis & sæcularibus* preces disceret, *inq; Deorum honorem caneret,* nisi Musa vatem *aliquem divinitùs* dedisset *& excitasset, qui hujusmodi preces & Deorum hymnos*

compo-

composuisset? *Nimirum* chorus *puerorum & puellarum* carmine *à* do-cto *Poetâ conscripto Dijs immortalibus* blandè supplicans *Deorum* opem *exposcit*, & præsentia *eorundem* Numina *& auxilia* sentit *& experitur;cum tellus ariditate exuritur*, *tunc* cælestes aquas implorat *& impetrat*, morbos avertit, pericula *impendentia*, metuenda *& formidabilia precibus suis* propulsat, pacem impetrat, *& uberem fructuum proventum*, & annum frugibus locupletem *& abundantem*. *Deniq;* Di superi *& inferi*, *Di cælestes* & manes carmine *Poetarum* placantur, *& hominibus reconciliantur*. *Porro ut altius ali quanto Poematum, & antiquæ potißimum Comœdiæ originem repetam: priscis temporibus multo liberiores erant versus, qui magnâ verborum licentiâ constarent.* Prisci *enim Romani qui potißimum rustici, &* agricolæ *erant*, *viri* fortes & *rebus suis quamvis* parvis *contenti &* beati, *post messem*, postquam frumenta *in horrea* condita *essent* corpus *suum meßis laboribus defatigatum*, & ipsum *etjam* animum, qui spe finis *omnium laborum & ærumnarum* dura *omnia in militiâ* perferebat, cum operum socijs *ministris* famulis *suis* puerjsque & fideli conjuge tempore *dieve* festo *relevantes & reficientes:* tellurem porco *&* Sylvanum DEUM *rusticum* lacte *colebant &* piabant: genium *autem naturæ Deûm hilarem & voluptuarium*, *&* brevis ævi *vitæ nostræ* memorem floribus & vino *oblato placabant*. Per hunc morem *dies festos post finitam messem celebrandi* Fescennina licentia *condendi carmina lasciva proterva & petulantia, magnâ verborum licentiâ constans* inventa, rustica opprobria *dicteria & jocos* alternis versibus, *ita ut unus alteri maledicta jocosa* ingereret, *paßim* profudit, *& jocosè atq; falsè notavit:* & *hæc* libertas *versuum Fescenninorum* per recurrentes annos accepta *& usurpata, sine petulantiâ offensione aut contumeliâ* amabiliter *comiter & facetè* lusit: *tam diu* donec *omnibus in deterius vergentibus*, jocus *in Fescenninis* jam *serius severus &* sævus in apertam rabiem, *maledicentiam, convicia, probra, contumelias* converti cæpit, *donec jocus jam* minax & *iracundus jam etjam* per honestas domos impunè ire *cæpit*, *& honestas quoq; familias incessere, & probris calumniari fas licitumq; esset*. *Qui viri honesti* cruento dente, *& sævis contumelijs* lacessiti *& vexati* indoluerunt, *& hanc criminandi licentiam molestè tulerunt, nec solum illi qui jam tacti erant maledictis, sed* intactis quoque *cura & sollicitudo* fuit, super *sorte* condicione *& periculo* communi, *qui*

ni, quod paulo post ab alijs ad se quoq; perventurum metuebant. Ob id huis malo indies crescenti maturè remedium quæsiverunt. Quin etjam lex lata & pæna lege constituta fuit, quæ quempiam malo & famoso carmine describi nollet & prohiberet. Ob id Romani pænâ fustuarij hunc modum & morem alijs maledicendi verterunt & mutârunt, nimirum fustis formidine ad bene dicendum, delectandum, & liberales jocos rursus redacti. Illo autem tempore carmina adhuc rudia & indocta erant. Tandem vero Græcia à Romanis armis capta vicißim victorem, P. Romanum ferum, indoctum, nondum literis & humanitate politum excepit, & inculto atq; agresti Latio humaniores atq; liberaliores artes intulit. Sic horridus ille inconditus & impolitus qualis ætate Saturni fuit, Saturnius odiosus & inauspicatus numerus carminum Poeticus paulatim defluxit, obsolescere incepit, inq; usu esse desijt, & nitor elegantia & mundiciæ artium Græcarum, grave virus, & hostilem virulentiam pariter mox carminum pepulerunt & profligârunt. Sed in longum tamen ævum longoq; tempore ad hodiernum usq; diem mansêrunt, & etjamnum manent antiquæ rusticitatis vestigia. Romanus enim populus serò admodum acumina ingenij sui Græcis carminibus scriptis & chartis cognoscendis admovit & adhibuit, & demum post bella Punica quietem nactus incepit quærere & investigare, Quidnam Sophocles, Euripides, Thespis, Æschylus alijq; nobilißimi tragici ad communem vitam commodi atq; utilitatis conferrent: periculum quoque fecit, & hanc rem tentavit an Græca in Latinum sermonem dignè aptè atq; convenienter posit convertere, sibique in suis versionibus mirificè placuit, quippe naturâ sublimis acer atq; ingeniosus. Nam Tragicum stilum satis convenienter spirat, satis feliciter audet, spiritusq; satis excitatos habet ad Tragica Latino sermone exprimenda. Sed hoc unum tantum in illo reprehendendum, quod ægrè fert sua scripta emendari, & lituram, quâ versus non satis culti, & vocabula non satis lecta inducuntur, alijq; versus cultiores alia vocabula aptiora substituuntur, in scriptis suis tanquam turpem metuit, & reformidat. Porro ut ad Comœdiam progrediar multis illa laborat difficultatibus. Comœdia enim quia res argumentum & materiam non ut Tragœdia ex longinquo heroico & divino sæpe vitæ genere, sed ex medio populo arcessit & desumit, longè facilior quàm Tragœdia vulgò esse creditur, & laboris atq; sudoris minimum habere. Sed profecto ipsa Comœ-

dia

dia (si verum fatendum est) tanto plus oneris & laboris habet, quanto minus veniæ habet, quantoq; ei minus ignoscitur, qui in eâ scribendâ alicubi titubaverit, aut peccaverit. Aspice enim, quo pacto, quam anxiè, curiosè, & sollicitè nobilis ille Comicus Plautus ephebi adolescentis meretricem amantis partes observet & decorum tueatur, quo pacto patris avari, & ad rem attenti, quo pacto lenonis aliorum loculis insidias struentis. Quantus & quam magnus sit Dossennus ille in reliquis parasitis edacibus & heluonibus, deniq; quàm non astricto, laxo & dissoluto socco aut calceo comico per pulpita & scenam incedat, dum unius aut alterius personæ decorum observat, nec eâdem curâ omnes fabulæ parteis pertractet. Quærit enim lucrum potius, quàm laudem, & nummum in loculos dimittere duntaxat gestit atq; studet; posthac ubi lucrum cæpit, parum curat, parumque sollicitus est, cadat sua fabula, an vero recto talo stet, explodatur illa, an verò placeat & attentè audiatur. Porro quem vana gloria ventoso quasi & inani curru vectum ad scenam & Comœdias scribendas tulit & perduxit, ille non minus vanus est, quàm qui lucrum aucupatur. Lentus enim & ignavus parumq; attentus spectator ipsum tristitiâ afficit, & pænè exanimat: contra spectator sedulus, alacer, & ad audiendum promptus illum inflat, tumidumq; & superbum reddit: adeò levis, adeo parva & nihili res est, qnæ animum ambitiosum & laudis gloriæq; cupidum & avarum vel negata planè subruit, percellit, dejicit, & affligit; ant contra data illum reficit & vivificat. Sed valeat illa res ludicra, valeant ista honorum fomenta & vana ludibria, si palma cum non placui mihi negata me macrum & tristem, contra autem mihi à spectatoribus donata opimum & lætum è theatro domum reducit. Profectò vanam illam gloriam non tanti æstimo, ut ejus nomine, vel gaudere, vel dolere magnoperè cupiam. Quid de alijs incommoditatibus dicam, quibus cum Comicis luctandum est? Certè hoc quod dicam multos à scribendis Comœdijs fugat & deterret, sæpe etjam audacem Poetam, qui audacter multa & egregia scriberet: quod nimirum homines è vulgo indocti & stolidi, qui numero quidem plures, sed virtute doctrinâ honore minores sunt, quia rudes sunt ingeniosissimorum Poematum & egregiarum Comœdiarum contemptores sæpe in mediâ Comœdiâ jubent histrionem silentium agere, & alia spectacula in theatrum induci, & adeo pertinaces sunt, ut si equites Romani doctiores Comœdiam potius audire, quàm alia spectacula mâlint, &

discordent parati *sunt cum illis* pugnare, *& clamore insano Comœdiam abrumpunt, &* inter media carmina poscunt *alia sibi spectacula exhiberi*, ut ursum, *venationes, ferarum decursus*, aut *etjam* pugiles *& athletas*. Nam plebecula his *vanis spectaculis potius, quàm egregijs carminibus* gaudet *atq; delectatur*. Verum *quamvis* eques *hactenus doctior habitus, tamen* jam quoque *paulatim carmina incipit fastidire*, omnisq; voluptas *in theatris ipsi* ab aure, *à carminibus quæ auribus audiuntur*, ad incertos oculos, & vana *spectaculorum* gaudia migravit. *Hinc nimirum orta est misera illa histrionum condicio. Etenim totius fabulæ actus diu sæpe suspenditur, &* aulæa, *quibus scena prætexitur, sæpe* in quatuor aut plures horas premuntur, *aut reponuntur*, dum *interea spectacula triumphalia exhibentur, pugnæ simulacra repræsentantur*, equitum turmæ & peditum catervæ *aliæ* fugiunt, *aliæ sequuntur*, mox *misera* regum *devictorum & captorum* fortuna *exhibetur, quando illi* manibus *in tergum* retortis, *in triumphum vincti* trahuntur; esseda *vehicula Gallica velociter in triumpho prætervehuntur &* festinant, pilenta *matronarum currus*, petorrita *itidem vehicula Gallica*, naves, *cum simulacrum navalis pugnæ editur exhibentur*, signa ex ebore captiva *ex hostibus erepta*, Corinthiaca vasa, *& alia spolia alicujus captæ civitatis, de quá victâ fit triumphus*, deportantur. *Quid autem hæc nisi nugæ & vanitates meræ? Profectò* si Democritus *egregius ille irrisor vanitatis hominum postliminiò in vitam revocatus* in terris *jam* foret, *hasq; vanitates videret: tunc* rideret, sive diversum genus *animalium, quale est* panthera *cum* camelo *confusa, quale camelopardalim vocamus*, sive elephas albus *inventu rarus, sive alia animalia in theatra introducta* vulgi ora *ad se ab ipso histrione* converteret, *rideret populum magis attentum in considerando apparatu fabulæ, quàm in audiendis illis, quæ ab histrione dicerentur. Adeoq; longè* attentiùs *stolidissimum* populum spectaret, quàm ipsos ludos, utpote qui sibi præbeat *longè plures ridendi materias, longè* plura spectacula *risu & admiratione digna*, quàm mimus *aliquis aut histrio, nec minus irrideret ipsos* scriptores, *ipsos Poetas & histriones: Certè quos si ille videret*, putaret *illos* fabellam *aliquam* surdo asello recitare, *& quos populus non magis audiat, non magis intelligat, quàm surdus asinus.* Nam *quis histrio tantũ voce possit contendere, ut populi strepitum & clamorem possit superare*, quæ voces *Comœdorum illum* sonum potue-

tuerunt pervincere, quem nostra theatra referunt? *quis autem ibi amplius cum silentio attendit? Certè si populi strepitum in theatris audias non immeritò* putes Gargani *montis Apuliæ* nemus *vento concitatum* mugire, aut mare Thuscum *vento fluctibus & procellis turbatum reboare,* Cum tanto strepitu spectantur ludi *mimorum*, artes *histrionum, habitus dives exoticus*, & divites *illæ artificiosæ &* peregrinæ vestes, quibus actor *comœdiæ* oblitus *potius & commaculatus, non autem ornatus*, cum *prodijt, & adhuc* in scena stetit, *nec dum verborum aliquid propter strepitum dicere potuit, plauditur ipsi,* dextra cum lævâ *cum sonitu* concurrit, *strepitusq; editur, non propter fabulam, sed propter habitum.* Dixit ne adhuc aliquid, *cur ipsi plausum ediderint?* Nihil sanè. *Nec dum verborum aliquid propter strepitum dicere potuit.* Quid igitur placet *populo quare plaudat? nimirum sola vestis actoris ex* lana Tarentina *molliore*, Ianthina *&* violas *colore* imitata, veneno *vel fuco ita tincta.* Ac ne forte putes, *Auguste Cæsar*, me *ipsa parciùs atq; adeo* malignè laudare, quod alij rectè *& laudabiliter* tractent, *&* quæ *ego* ipse facere, *vel non possim vel saltem* recusem: *tu verò scito me bonum Comicum magni æstimare, &* DEO *quodammodo comparare.* Certè ille Poeta *comicus videtur mihi* ire *posse* per funem extentum, videtur mihi posse *aliquid facere vulgo negatum, & ob id magnam sui admirationem exciare, qui* animum meum inaniter *rebus fictis tantum* urget, *inani metu perterret, ad iracundiam concitat &* irritat, *ad lenitatem flectit &* mulcet, *qui me* falsis terroribus *falsisq; gaudijs* implet, *&* ut Magus *animum meum movet & impellit, & adeò aptè & accommodatè res alibi gestas describit*; ut modo *Corinthi*, modo Thebis, modo Athenis me ponat, *tanquam ijs in locis, ubi res gestæ sunt, præsens jam adsim.* Verum *quamvis Comicos meritis suis laudibus privatos nolim*, age *tamen ô Cæsar*, etjam his qui sese *& sua carmina* lectori *potius* malunt *concredere, & talia scribere, quæ legantur potius*, quam superbi spectatoris fastidia *atq; contemptum æquo animo* ferre, brevem curam; redde, *qualemcunq; etjam illorum rationem habe, nec illos omnino neglige* si *modo ipsos Poetas tale* munus *atq; & tale carmen* libris *suis* vis complere, *quod* dignum *sit, quod in templum* Apollinis *Palatini, in Bibliothecam tuam transferatur*, & vatibus calcar *aliquod & incitamentum* reddere, *ne* studia *omnino obijciant, sed* virentem *illum* Helicona *amœnum Bœotiæ montem*

rem Musis consecratum, majore studio petant, & alacriores sint ad scribenda carmina. Nam neglecta & contempta marcent & languescere incipiunt. Porro nos Poetæ qui non spectatori sed lectori scribimus, nos multa peccata in nos admittimus, multa sæpè mala nobis ipsi facimus, ipsi sæpe in causâ sumus, quare nostra carmina vilia habeantur (ut de me ipso quoque loquar, & egomet ipse vineta mea recidam, & ex illis amputem quæ mala & inutilia sunt, ut ego mores meos ipse castigem, & demonstrem quid in ipsis vitiosum sit.) Et primum quidem peccatum est importunitas oblationis, cum tibi, Auguste Cæsar, vel de rebus gerendis sollicito, inque negocijs occupato, aut per administrationem fesso librum perlegendum damus & offerimus. Deinde cum amicam correctionem impatienter ferimus, cum graviter lædimur & offendimur, si quis amicorum forte unum atque alterum versum reprehendere ausus fuit, cum ipsi fœtus nostros amamus, & parteis atque loca carminis nostri, quæ jam aliquoties recitata sunt, non sine tædio amicorum revolvimus & revocamus, quamvis ab amicis non revocati simus ad illa denuo legenda. Quia scilicet ea nobis pulchra & venusta videantur. Porro cum lamentamur, & conquerimur nostros labores, nostra scripta & nostra poëmata nostrâ opinione tenui admodum filo deducta subtilia & acri ingenio elaborata, non apparêre, non vulgari, non in omnium manibus versari, non ab omnibus laudari. Denique cum tantum nobis arrogamus, tanti nostra scripta æstimamus, ut speremus eò rem esse deventuram, ut statim postquam resciveris nos carmina fingere commodus liberalis & munificus ultro nos accersas, immensis muneribus nos afficias, inposterum indigere vetes, & summo carminum nostrorum desiderio detentus scribere cogas. Sed quamvis planè hæc nostra vanitas intolerabilis sit & reprehensione digna, interea tamen operæ pretium est cognoscere, qui Poëtæ propter ingenij egregia sui monumenta merito alijs præferantur, & qualeis Poetæ tuis virtutibus & rebus gestis, Auguste Cæsar, adhiberi debeant, qualeis æditu os, qualeis custodes, qualeis scriptores habeat, præclara illa tua virtus belli & domi, in prælio & pace, in negocio & ocio satis superque spectata & probata, quibus ab interitu & oblivione vindicetur; profecto non committenda indigno alicui Poëtæ, qui fœdo carmine illas deturparet potius, quàm illustraret. Chœrilus ille malus & ineptus Poeta, qui debuit, acceptosque retulit aureos illos Philippejos numos Bizantinos Philippi regis patris Alexandri magni

gine signatos, versibus incultis, ineptis, ingratis & malè invitâq; Minervâ & Musis natis versibus regale numisma, & regis munus maximum; Ille regi Alexandro magno gratus fuit, sed veluti atramenta manibus contrectata, atram, notam, labem maculam in manibus remittunt & relinquunt: sic ferè scriptores & Poëtæ mali splendida facta & præclaras res fœdo & insulso carmine linunt inquinant & contaminant. Et demirandum profectò talem tantumq; regem in alijs artibus judicandis tam acutum tam ingeniosum fuisse, in judicandis versibus adeo bardum & stupidum. Idem enim Rex ille Alexander Magnus, qui tanquam prodigus pro re nihili multa profudit, & Poëma tam ridiculum, tam carè emit, ille publico edicto vetuit, ne quis se pingeret præter nobilißimum illum pictorem Apellem, ne quis se exsculperet, præter ingeniosum illum Pyrgotelem, neque alius, quispiam à Lysippo æra duceret, quæ fortis Alexandri magni vultum simularent, effigiemq; repræsentarent. Quod si judicium illud Alexandri Magni in videndis artibus, earumq; præstantiâ subtile & acerrimum, ad libros & carmina, & Musarum dona revocares, & videres, quid judicij haberet in æstimandis carminibus aut Poematibus, non immeritò jurares, illum ex Bæotiâ esse oriundum, bardum & stupidum, inque crasso aëre natum. At contra tuum, Auguste Cæsar, judicium longè acrius & subtilius, quàm illud Alexandri magni, quod acerrimum est, non tam in perspiciendâ præstantiâ artis pingendi, fingendi, quibus corpus & vultus tantum exprimitur, quàm in æstimandis ingeniosorum Poetarum monumentis, quibus animus & facta pinguntur & immortalitati consecrantur. Certè præstantißimi Poëtæ Virgilius & Varius, qui ob ingenij præstantiam tibi dilecti sunt, illi neque dedecorant tua de se judicia, dum illos excellentißimos judicas, dumq; illi se excellentißimos gerunt, ut tu illos judicâsti, ut Chœrilus dedecorabat judicium Alexandri, qui pravus Poeta erat, & quem tamen Alexander egregium censebat, & ob id tantum pecuniæ in ipsum profundebat. Neq; illi etjam dedecorant egregia tua munera, cum uterq; decies sestertium à te acceperit. Certè quæ cum multâ laude tui dantis, ô Cæsar, tulerunt à te, cum illi se hisce muneribus dignos esse putant, adeo ut tu majorem laudem consecutus sis, qui dignis dederis, quàm illi quòd se dignos præstiterunt. Quamvis etjam illorum ingenij monumenta satis laudari nequeant. Neque enim per ahenea signa, aut æreas statuas vultus clarorum virorum magis

D expri-

exprimuntur *beneficiorum statuario*; quàm per *excellentis* vatis opus *& carmen* mores, animi *& res gestæ* apparent. *Talia nimirum ego in te conferrem munera, si facultas voluntati meæ par foret*: neque ego Horatius mallem *lyrica aut epistolas conscribere, aut satyras ac* sermones humi repentes, *& solutæ orationi similes fingere*; quàm *tuas* res gestas *egregio carmine* componere, terrarum situs *describere, in quibus tu militâsti, quas subegisti*, & flumina dicere *atq; maria, in quibus tu navibus pugnâsti*, & arces *arduis* montibus impositas, *& tamen à te victas & captas*: & barbara *illa* regna, *quæ tu Romanorum armis subegisti, &* bella *quæ* tuo *ductu &* auspicio per totum *terrarum* orbem *debellata, & ad finem perducta atq;* confecta *sunt*, & templum *Iani clausum, ejusq;* claustra, quæ Ianum pacis custodem *continent atq;* cohibent, *& quod templum tu bellis jam in toto mundo compositis demum clausisti*: & quod Roma *deniq;* te principe, *te summo belli duce atq; imperatore Germanis, Cantabris*, Parthis *metuenda atq;* formidabilis facta sit. *Talia, inquam, mallem carmine describere, quàm levia & humilia*, si quantum cuperem *tantum* quoque possem. Sed neque tua majestas, *quæ se ad cælum vel sidera usq; extendit*, parvum *& humile* carmen, *quod à me proficiscitur*, recipit, nec *ingenuus ille* meus pudor audet rem *aliquam immensam* aggredi, quam *ingenij mei* vires recusant. Solet autem *nimia* sedulitas, *amicorum nimis officiosorum in amici laudibus ineptè decantandis* urgere *potius, urere, lædere & offendere illum*, quem stultè diligit, *dum stultâ* sedulitate *amore inepto & studio intempestivo ineptè amici laudes quærit; ob id, qui stultè & ineptè, quantumvis sedulò, patronum suum diligit molestus prorsus & ingratus est*: præcipuè cum *carmen scribit*: seque numeris & arte *Poeticâ* commendat. *Illud* enim, *in carmine potissimum*, quod *ridiculum est, &* quis deridet *longè* citius ediscit, *longè* etjam libentiùs meminit *& recordatur lector*, quam illud, *quod* probat veneratur *& laudandum æstimat. Ego verò illud amici, quamvis seduli* officium nil moror, *nil probo, neq; laudo*, quod me gravat *potius laudatione importunâ & ridiculâ, quàm exornet, & decoret*: ac quemadmodum nolim cereus! *effingi, aut vultum meum ex cerâ formari, inq; publico usquam* proponi, vultu *meo* in pejus facto, *ita ut ore deformiore referar, quàm revera naturâ sim*: ita etjam non opto *ab inepto aliquo Poëtâ* pravè factis versibus decorari, ne *scilicet si malo carmine condecorer, aut*

pin-

pingui munere *insulsi poëmatis* donatus *sim ac describar* rubeam *ac pudore suffundar*, & *malo carmine chartis inscriptus* capsâ *aliquâ librorum non clausâ sed* apertâ, *omnibusq; patenti*, porrectus, *prostratus & venum expositus, ut fieri consuevit, inutilibus libris* unâ cum scriptore & *vano* meo *laudatore* in vicum *aliquem Romanum* deferar, in quo *crocus*, thus, *Zinziber*, odores, piper & *alia aromata* venduntur, & quicquid chartis *inutilibus*, *atq;* ineptis *involvitur, induitur &* amicitur, *ut inde thuris, piperis, & similium rerum involucra, cuculli, & integumenta fiant.*

EPISTOLA II.

Ad Iulium Antonium Florum Africanum.

Conquereris *in litteris tuis*, IULI FLORE, *qui Tiberij Claudij* Neronis D. *Augusti privigni imperatoris* boni & clari *perpetuus in bello comes*, & fidelis amicus es *conquereris, inquam, quod nullas ad te literas miserim, neq; carmina promissa tibi absolverim, meq; eo nomine graviter in litteris tuis incusas, & tantum non objurgas. Quo autem jure illud facias equidem non video. præsertim cum tibi prædixerim, me in scribendis litteris, & imprimis in carminibus pigrum, tardum, atq; ignavum esse. Age enim* si quis *mangonum* forte puerum *quendam aut servulum* Tibure, vel Gabijs, *vel in alio quodam municipio urbis* Romæ natum tibi velit vendere, & tecum *verbis sequentibus* sic agat, & *contrahat :*

Hic *servulus meus, quem venum tibi expono*, IULI FLORE, *quemadmodum vides formosus* & candidus *est*, *adeoq; in toto corpore à summo* capitis vertice ad imos talos pulcher *& elegans est. Quem si emere animus tibi est, vendam illum tibi* octo millibus nummorum *Sestertiorum. Hoc enim pretio, non minoris,* tuus *servus* fiet atque erit. Verna, *inquam, servus ex ancillâ natus. omnibus* ministerijs *& servitijs* ad heri *sui* nutus *arbitrium & voluntatem* aptus, *& accommodatus. Est enim doctrinarum Græcarum studijs*, literisq; Græcis *pariter & Latinis probe* imbutus, & *alias* cuilibet arti *addiscendæ* idoneus, *atq; promtus. Nimirum quemadmodum figulus ex* argillâ *præparatâ*, udâ *atq;*

 infor-

informi, quidlibet potest effingere & efformare: Ita tu cum animo ejus tanquam cereo quidvis imitaberis, eumq; in omnes formas deflectes & transmutabis, eumq; talem reddes, qualem voles. Quin etjam puer hic servulus cantare novit, & quamvis indoctum & sine artificio canat, sed illud tamen accumbenti & bibenti tibi dulce erit, & ad voluptatem, animiq; oblectationem per quam accommodatum. Neque existimes me ultra rei fidem & veritatem hunc meum servulum tibi commendare, meamq; hanc mercem plus justo exornare, ut eo nomine minus fidei meritò mihi adhibendum sit. Nam ubi mercator quispiam merces suas venales, quas extrudere, alijsq; obtrudere vult, & in alios à se transferre, pleniùs æquo laudat, nimisq; prædicat: Tunc multa ejus promissa, & amplæ pollicitatines de mercium suarum excellentiâ fidem elevant, & venditori derogant, & emtorem vanitatis & mendacij suspectum reddunt. Neq; est quod censeas, me necessitate ad hunc servulum tibi vendendum adigi: Facio enim illud tibi tantum gratificandi studio; Nulla enim res me urget, nulla vendendi necessitas me cogit. Licet enim pauper sim, nullo tamen ære alieno premor, nulli quidquam debeo, nec in alterius, sed in meo ære sum. Et mihi profecto crede, nemo mangonum qui homines vendunt, hoc tibi faceret, quod ego facturus sum, neq; adeo vili precio talem servum tibi venderet; nec quivis aliorum hominum facile aut temerè idem à me ferret illo, quo tu illum à me reportabis precio. Interca vitia, quibus servus hic laborat, etjam tibi non dissimulabo. Fugitivus quidem non est, sed eo tamen inclinare videtur. Hic enim servulus semel ab officio cessavit, semel contumax fuit, & heri sui mandata exsequi noluit, & ut fieri solet semel delituit, idq; non ex malitiâ fecit, sed pœnæ formidine, metuens nimirum habenam, lora, & flagellum in scalis vel gradibus dependens, quo nequam servi flagellari solent: Tu verò Iuli Flore, nummos mihi des, & servi precium octo nummorum milium mihi expone, & hunc servum tibi eme; si modo ejus fuga, quæ excepta à me, & tibi revelata fuit, te non lædit atq; offendit. Nimirum mango ille, si talibus verbis tecum agat, tuq; cum illo contrahas, ille mango, ut dixi, precium octo milium nummorum pro servo à te auferet, &, velut opinor pœnæ securus erit, & ab omni culpâ alienus. Non enim cogetur pœnam tibi præstare ex edicto ob legem redhibitoriam, quoniam fugitivum servum aut saltem cessatorem illum esse confessus est: Quia tu de vitio pueri sciens & prudens, nihilominus vitiosum emisti, & lex

tibi

tibi dicta est, & exposita. *Ea enim lege & conditione servum tibi vendidit, ne illius vitio, fuga scilicet, & ignaviâ offendaris. Injustus igitur eris, si nihilominus* tamen illum *venditorem mangonem judicio* insequeris, *inq; foro cum illo contendis, illumq;* iniquâ & *injustâ* lite *detines tantum &* moraris, *nihil omnino profecturus, & caussæ tuæ iniquitate succubiturus. Sed dices mihi hic forte, quorsum hæc tam putida, tam prolixa? Eo nimirum, Juli Flore, ut intelligas & me justam litterarum intermißionis excusationem posse producere, teq; injustè me ob illam accusare. Vt enim mango servum tibi vendens, ejus vitia tibi ingenuè revelans, justè à te postea accusari non potest: Ita ego quoq;* tibi *una cum Claudio in militiam* proficiscenti prædixi me *esse in scribendo* pigrum, *prædixi me in* talibus *scribendi* officijs *amicis debitis* prope mancum, *& mutilum esse, & manibus carentem:* ne *scilicet tu jure me objurgares* sævus, *asper, & iratus existens,* quod ad *absentem* te mea nulla *à me* epistola veniret. *At quantum video, frustra hæc tibi prædixi, si tu nihilominus mecum stomacheris, meq; objurgas, tanquam tibi non prædictum sit.* Quid *enim* tum, *cum illa prædicerem,* profeci, si *tu nihilominus* tamen *illa jura in hâc caussâ (ex eo quod mea vitia tibi fassus sum)* quæ mecum, *pro me, & contra te* faciunt, *oppugnas, &* attentas? *Certè jura mea, quæ caussæ meæ suffragantur, meq; defendunt, tu criminationibus tuis labefactare pergis. Nam de litterarum intermißione non solum con*quereris, *sed* super hoc etjam *præterea me reprehendis*, quod *tanquam negligens &* mendax, *promissa, & jam diu à te* exspectata carmina tibi non mittam. *Ego verò in altero hoc accusationis capite exemplo cujusdam militis* Luculli *me tuebor & excusabo. Qui* miles cum nocturno *tempore* multis ærumnis, *& laboribus militaribus* lassus *atq; defatigatus altè* dormit, *omnes opes & omnia* viatica *longo tempore militari labore parta &* collecta *uno tempore furto ablata etjam* ad *unum* assem *amiserat &* perdiderat: Post hoc *omnium rerum & opum suarum damnum, egestate crudelior factus, ut* vehemens *& atrox* lupus *fame existimulatus, &* jejunis *atq; famelicis* dentibus acer, *& violentus factus: fit* & sibi *ipsi dum vitam suam contemnit,* & hosti *suo* pariter, iratus, *& infestus incredibili animi robore & magnitudine* præsidiarios *milites Mithridatis* regis *Ponti ex excelso quopiam, &* summè munito loco, & multarum rerum divite, *multisq; opibus instructißimo* (ut ajunt, *& de illo perhibetur) depulit,* dejecit, *atq; deturbavit.*

lavit. Ob id factum *& facinus egregium in toto Luculli exercitu miles hic* clarus *& nobilitatus* honestis donis, *& amplissimis muneribus à Lucullo exornatur, &* insuper viginti numorum sestertia accipit. Fortè *fortuna* sub hoc *idem* tempus, *quo hoc accidit,* Prætor *Lucullus* nescio quod *Mithridatis hostis* castellum evertere cupiens *hunc* eundem *militem* exhortari cæpit, *& quidem sequentibus* verbis, quæ etiam timido *atq;* *ignavo* mentem *& animi confidentiam* addere possent, *& ad magnum facinus aggrediendum accendere :* Quid stas, *miles fortissime?* ô bone, ito *eo* , quo *tu ob singularem tuam fortitudinem vocaris, quo* tua virtus *& animi magnitudo* te vocat; ito fausto pede, *& felici auspicio, & primus mecum in hostes irrue,* meritorum *tuorũ præclarorum* præmia grandia *& uberrima* relaturus. Post hæc *verò* ille *miles, qui ante vitæ suæ periculo satis jam dives erat factus, vitæ suæ non amplius prodigus, sed providus & parcus* , *&* quantumvis rusticus *esset,* catus *tamen, & prudens* Imperatori *suo respondet &* inquit : *Ille miles, suum caput periculo objiciet, &* eò ibit, quo *tu* vis, *imperator,* qui Zonam *suam & omnem in illâ argentum* deperdidit, *& ad paupertatem, quemadmodum ego antea, redactus est. Quod militi huic cum suo imperatore, idem mihi tecum usu venit* , FLORE. *Nam ut ille egestate coactus confidenter caput suum periculis objectabat, postea ditior factus sibi parcebat : Ita ego etiam in bello ad paupertatem radactus carmina conscribere coactus sum ; quod jam ditior factus facere recuso. Nam à patre meo Romam puer deportatus sum, ubi* Romæ *&* nutriri *& educari* mihi contigit, *& simul à præceptore institui,* & doceri *Homeri Iliada, in quâ initio exponitur,* quantum Achilles *ob ereptam sibi Briseida Agamemnoni* iratus *& contra Trojanos pugnare nolens, reliquis* Græcis *suâ absentiâ* nocuisset. *Postea* Athenæ, *ubi Philosophiæ operam dedi,* paullo plus bonæ artis *in literis, & paullo majores progressus mihi* adjecêre *in Scholis Ethicorum,* scilicet ut rectum *à* curvo , *& ut bonum à malo* dignoscere, & *in porticu* ab Academo *Atheniensi exstructo*, inter silvas *in amœno loco* verum quærere, *& illud à falso internoscere possem.* Sed *ex hoc jucundissimo, mihiq; imprimis* grato loco dura *& turbulenta* tẽpora *civilium bellorum inter Cassium & Brutum* , *& Augustum & Antonium* me emovêrunt *atq; exturbârunt,* meque rudem *militem* , *& Philosophiæ non armorum studiosum* civilis belli, *tanquam maris* æstus *& fervor inter Bruti milites* retulit , *& Tribunum fecit,* in *talia* arma,

quæ viribus & lacertis Augusti Cæsaris non responsura *erant*, *sed nimis erant inæqualia*: Vnde simul primùm *demissus sum*, *& statim postquam me ex militiâ* Philippi *urbs Thessaliæ*, (*ubi cum duce meo Bruto ab Augusto superatus abjectis armis aufugi*) me demiserunt, *& bello valedicere jussêrunt*: *Tunc me Horatiū, inquam, jam* pennis *meis*, *quibus antea sublimis ferebar*, decisis *& avulsis* humilem, *me bonis in bello amissis demissum tristem & abjectum, me totius mei patrimonij*, *&* paterni laris & fundi, *domus & agri* inopem, *& per proscriptionem omnibus opibus privatum*, audax *impudens*, *& temeraria* paupertas impulit, ut versus facerem, *& meis carminibus me in magnorum virorum amicitias insinuarem*, *& ita opes armis belli amissas, poëmatibus scribendis requirerem*. *Et quod ipsum etjam me non fefellit. Nam à patronis meis munera atq; præmia pro ingenij mei monumentis consecutus sum amplissima.* Sed *jam cum patronorum meorum liberalitate tantum consecutus sum, quantum ad vitam humanam satis est, stultus, imò insanus meo judicio ipse mihi videbor, si ulteriùs carmina scribam, ijsq; scribendis plures adhuc opes mihi acquirere cupiam. Etenim antea paupertate impulsus versus scripsi*; *Jam verò* cum *illud* habeam, *quod* ne *unquam mihi* desit *precor*, *& quod ad vitam tolerandam mihi abundè sufficit*: quæ *nam* cicutæ, *quodnam veratrum, aut quinam Elleborus, aut quænam quantumvis validissima insaniæ remedia* unquam *me* satis *ab insaniâ & furore liberare &* expurgare poterunt, si dormire, *& ocium agere* non meliùs *esse* putem, quàm versus scribere, *præsertim hâc ætate non provectiori solū*, *sed jam senili*. Etenim anni *senectutis accedentes* euntes, *& fugientes* singula *juvenilia*, *omnia amatoria & jocosa*, *quæ antea habui*, de nobis prædantur, *& paulatim auferunt*; *nimirum qui hac grandiori ætate mihi* eripuêre jocos, Venerem, convivia, ludum, *& omnem deniq; materiam lyricorum carminum*, *& qui deniq;* Poëmata *mihi excutere*, *& versus* extorquere *contendunt*, *& conantur*. Quid *ergo* vis, *ut* faciam, *Flore? Requiris à me, ut versus faciam, quod amplius præstare per ætatem non possum.* Et denique *quænam versuum genera potissimum vis ut scribam? Varia enim sunt hominum studia, varia desideria & voluptates*, nec omnes eadem amant, & demirantur. Tu *enim grandi Epico & Heroico* carmine gaudes, hic Iambis, *& Lyricis* delectatur, ille Sermonibus *Satyricis*, *lividis*, *& amaris*, quibus *impius ille* Bion *Boristhenites* usus *fuit*, & nigro sale, *jocisq; amaris &*

ris & virulentis: *Imò verò* tres convivæ videntur mihi propemo-*dum ab invicem* dissentire, dum vario *& diverso suo palato varia etjam &* multum diversa *& validè discrepantia* appetunt *fercula, dum unus acidis, alter amaris, tertius salsis delectatur. Si enim tres convivas habeã, ambigo* quid dem, *aut* quid non dem. *Nam* quod tu renuis, *& recusas, illud* alter *sibi apponi* jubet, *&* quod *tu appetis*, illud duobus *reliquis* invisum, acidum *& ingratum* est. Præter cætera *& reliqua jam à me dicta*: *Censesnè, Flore*, me Romæ versus posse scribere, inter tot curas, tot labores, *tot occupationes, tot negotia, & tumultus?* Hic *enim me* vocat ad spondendum, *ut meam fidem pro alijs interponam*: hic *alter me tanquam carminum censorem vocat* ad audiendum *suos versus &* scripta, omnibus *reliquis* officijs relictis, *& postpositis*. Hic *amicorum* in colle Quirino *ægrotus decumbit*, hic *amicorum* in extremo *colle* Aventino *lecto adfixus male habet*: Vterque *à me uno die* invisendus *est*. Vides, *ô Iuli Flore, quàm* commoda, *imò quàm incommoda hæc sint, hæc tanta locorum longißimè ab invicem distantium* intervalla more *omnium rerum* humanarum. Verum *enimvero salva res est, quia nimirum Romæ* plateæ puræ sunt, *ita* ut nulla *sint impedimenta in plateis, quæ Poëtis liberè incedentibus & carmina* meditantibus obstent, *& Poetas à cogitationibus suis abstrahant. Imò verò res longè aliter sese habet. Romæ enim alibi mercator pecuniarum cupiditate flagrans mercium suarum sarcinis plateas implet: alibi* redemptor, *qui pro certâ mercede opus faciendum conduxit, avidus*, calidus, *inq; operæ faciendo impiger pariter & laboriosus* mulis *pariter &* gerulis, *qui portant ad fabricã necessaria*, festinat. Nunc *in plateis* ingens *quædam* machina, *quâ saxa; & ligna ad murorum structuram in sublime attolluntur*, nunc *grande saxum &* lapidẽ, *nunc trabẽ aut* tignum *in sublime* torquet. *Alio loco* tristia funera cũ robustis plaustris, *quæ saxa & alia ad ædificia necessaria portãt in platearum angustijs, concurrunt, & dum unus alteri cedere non potest*, luctantur, *quin etjam hujusmodi plaustra sæpe procumbunt, & ingentia saxa & trabes in prætereuntes homines devolvunt, ita ut infelices homines paulo post funera futuri cum plaustris luctentur, à quibus subversis obteruntur.* Hâc *parte* rabiosa *quædam & irritata* canis fugit, hâc *parte* lutulenta *quædam & cænosa* sus ruit, *& decurrit. Age* nunc *Romæ in plateis*, & *in tantis impedimentis, tantâ turbâ, tanto strepitu* canoros, *& con-*

concinnos versus *inter eundum in plateis* meditare. *Quomodo enim illud fieri potest ?* *Nam* omnis scriptorum *&* *Poetarum* chorus amat nemus, *amat secessum, & otia. solitudinem & loca ab omni hominum frequentiâ remota, & quicunq; Poeta ipsius* Bacchi, (*qui* somno & umbra, *otio & quiete delectatur*) iste cliens est, *ipsumq; Bacchum patronum habet, ille* urbeis, & *hominum turbas* defugit *& evitat.* *Erras igitur vehementer Iuli Flore, qui à me hac mea ætate & hoc in loco carmina desideras.* tu *enim* me *non solum inter* diurnos *illos, sed etjam* inter nocturnos strepitus & *tumultus quibus tota urbs plena est*, vis canere, *versus meditari*, & *aliorum* vatum *aut Poëtarum* vestigia, *jam* contacta *trita & divulgata* sequi ? *Atq; adeo cui non absurdum videatur, te illud Romæ à me requirere, quod aliquis Athenis, aut in alijs locis solitarijs præstare nequeat?* *Nam præstans alicujus Poëtæ* ingenium, quod ad se *excolendum* vacuas *& minus populosas* Athenas *urbem quietissimam & tranquillissimam* desumpsit, & studijs *Poëseos & carminum conscribendorum* septem *integros* annos dedit, & libris *pariter* & curis *diurno & nocturno tempore* consenuit *& impalluit*; *ille, inquam, ibi Athenis domo suâ sæpe* exit *in nimijs cogitationibus defixus, dum versus meditatur* statuâ taciturnior, *& vel Athenis etjam dum neminem salutat omnibus risum excitat maximum*, Atque *adeo* totum populum *ingenti* risu concutit. *Quod si illud Athenis Poeta præstare non potest*: egone hic *Romæ* in medijs rerum fluctibus, & *tot negotiorum* tempestatibus urbis *populosissimæ*, dignum esse putem, verba connectere, *& carmina componere, quæ* lyræ sonum *essent* motura, *& ad ejus strepitum sint decantanda?* *Quis negat talia carmina fore ineptissima ? Quod autem Romæ Poetæ sua invicem carmina, quamvis inepta collaudant, sibiq; mutuis præconibus applaudunt, & quod dici solet, mutuum muli scabunt, tanquam indignum, mihi nunquam probari poterit.* Romæ erat rhetor *quidam, &* frater, *cujusdam* ICti, *qui duo fratres adeo honorificè de se invicem sentiebant*, ut alter *ex* alterius sermone meros honores *& laudes* audiret; *ita* ut hic *rhetor* illi *fratri ICto Tiberius* Gracchus, *qui fuit orator eloquentissimus, diceretur*: *Contra* ut ille *ICtus* huic *rhetori fratri suo* Mucius *Scævola vir Iuris consultissimus* foret *& appellaretur.* *Et ridiculum quidem hoc. At verò nonne idem nos vates Romæ facimus ?* *Quomodo enim* iste furor *laudandi nos invicem nos* argutos *& loquaces* Poëtas *Romæ* minus vexat, *minus agitat, quàm illos duos*

 fratres

fratres ICtum & oratorem? *Etenim ego Horatius si Dijs placet meâ existimatione egregia* carmina compono: hic *alter* elegos *scribit, Poëma summum,* opus visu admirabile, *& nostro judicio artificiosissimum, quasi à* Novem Musis *confictum* cælatum *atq; elaboratum.* Adspice *enim* primum, cum quanto fastu, *cum* quanto apparatu, *quàm superbè, quàm operosè* circumspectemus ædem *Apollinis Palatini & bibliothecam in ipsâ ab Augusto exstructam: censentes nimirum illam vacuam futuram* Romanis *Poetis aut* Vatibus, *nisi nostra in illam carmina deferantur.* Mox etjam si fortè *tibi ocium est &* vacas *paulatim nos Romanos Poetas* sequere, & procul *quasi ex insidijs nos conspectans, ut aliud te agere cogitemus,* audi *& explora,* quid *uterq; nostrum* ferat, & quare uterque *nostrum, & ego qui carmen, & alter qui elegos composuit,* coronam *lauream* sibi nectat *& poscat.* *Nimirum ibi alter alterius carmina cum admiratione audit, & laudat, & velut* Samnites *gladiatores* lento duello *& prolixo prælio inter nos decertamus ab ortu solis usq;* ad *vesperam, vel* prima lumina; *ibi velut gladiatores* cædimur & *pulsamur, &* hostem *nostrum adversarium cum quo pugnamus* totidem plagis consumimus: *ibi aliorum, inquam, Poëmatũ auscultatione molestiâ afficimur, & nostrorum carminum recitatione vicissim alios ulciscimur, Aliorum poematũ recitatione obtundimur, & nostris vicissim poematis recitandis aliorum aures obtundimus; deinde ego ab alio laudor, & vicissim alium laudo. Nimirum ego* illius *alterius judicio,* puncto, *vel suffragio, optimis Græcis Lyricis par judicor, atq; adeo* Alcæus *domum* discedo. Ille *verò alter,* quisnam *esse videtur vicissim* meo *judicio?* Quis *autem* nisi Callimachus? Quod si *Callimachi nomine nondum contentus est, &* plus *laudis vel nobilius nomen adhuc sibi* visus *est* apposcere, *tunc* fit *à me* Mimnermus, & cognomine optivo, *& titulo, quemcunq; ille à me exoptârit,* crescit *& major clarior & nobilior per me evadit.* *Ego enim* cum *versus* scribo, & populi *Romani laudes* suffragia *& benivolentiam* supplex capto, *& aucupor,* multa fero, *multum laboris & molestiarum perfero,* ut vatum *Romanorum* genus *ad iram* irritabile placem *& mitigem, ne illos irritem aut offendam, sed inprimis illud curem, ut illorum carmina non solum audiam, sed etjam amplissimis laudibus attollam, ipsorumq; scriptores honorificentissimis nominibus appellem.* *At verò* jam *ego Horatius, cum* finitis *illis carminum* studijs & receptâ *ratione &* mente, *& insaniâ atq; furore poetico abjecto & de-*

& deposito versus amplius non scribo: quidnam mihi obstat, quo minus obturem aures *meas* patulas *alijs vatibus, sua carmina mihi* legentibus *aut recitare volentibus? Non solum autem non laudabo illorum carmina, sed ne audiam quidem. Impune enim illud possum facere, quia nocere mihi non poterunt, ubi scribere desiero, & quando illis nihil recito, non opus habeo ut illorum carmina vicißim audiam. Magna autem quorundam est stultitia, qui mala sua carmina, quæ ab alijs contemnuntur ipsi amant & laudant.* Nam qui mala carmina componunt, *illi ab alijs quidem* irridentur. Verum *ipsi Poëtæ qui talia mala carmina scribunt, illi* gaudent *tanquam egregia scripserint,* & *cum alij nolint,* semetipsos venerantur, & si *tu* taceas, *illosq; laudare nolis, illi suâ opinione felices &* beati, *non expectantes dum ab alijs laudentur,* ultrò quidquid scripsêre laudant *& commendant.* At *verò bonus & accuratus Poeta* qui legitimum, *& secundum leges exactißimorum Poetarum absolutum* poëma facere cupiet: *ille sua non extollet & sua scripta non aliter ac si essent alterius, accurato judicio examinabit, & unâ* cum *ipsis* tabulis, *in quas composita carmina describet, in manum sumptis etjam* animum honesti censoris, *& egregij Critici* sumet, *inq; suis scriptis examinandis non minus severus erit, quàm si essent aliena. Porro verba illa,* quæ parum habebunt splendoris, *parum nitoris & venustatis, quæ* erunt *sordida* & *humilia,* sine pondere, & honore indigna, *& sine ullo decoro posita, unà cum alijs* ferentur, *& ponentur: talia, inquam,* verba *nullo sui suorumq; amore impeditus* audebit *delere,* loco movere, *& è carmine suo eximere,* quamvis *illa ipsa verba vel ob nostri amorem, vel etjam quod emendare major labor sit, quàm scribere,* invita *admodum* recedunt, *& deleantur,* & adhuc *in domo propè focum* intra Vestæ penetralia *penitus abdita* versentur, *& nec dum in lucem prolata, nondum divulgata fuerint. Porro talis Poeta, quem dixi, prisca, antiqua, &* obscurata *verba, & ab usu quotidiani sermonis* longo tempore *intermissa, penitus ignota & abdita tanquam homo* bonus, *benignus, atq; liberalis, ipsi* Populo *Romano è situ* eruet, *è tenebris extrahet,* & speciosa *egregia, & significantißima* rerum Vocabula, quæ priscis Catonibus, & Cethegis, memorata *& in quotidiano sermone usurpata fuerunt, & quæ* nunc informis & *deformis* situs *squalor, &* vetustas *obsoleta, &* deserta, premit, *inq; tenebris quasi detinet, illa, inquam, vetera quasi postliminio* in lucem *& vitam* proferet: *contra autem* novæ

interdum verba, quæ vehemens & potentissimus loquendi usus, (qui quasi vocabulorum genitor parens & procreator est) liquidus, & puro anni similimus, produxerit: & approbârit, talia, inquam, nova in communem loquendi usum adsciscet, & scriptis suis accommodabit, novorum vocabulorum opes uberes & copiosas sparget, inq; usum Latini sermonis profundet, & Italiam linguâ Latinâ divite & copiosâ beabit & augebit. Quæ redundant luxuriantia & superflua sunt, illa reprimet, amputabit, & compescet; quæ nimis aspera horrida & inculta sunt, ille levabit, expoliet, & sano cultu, & exquisito judicio, quasi mitiora reddet; quæ autem virtute carent, minusq; bona sunt, illa tollet & ex sermone eximet. Deniq; exemplo Histrionum, ludentis cujusdam Comœdi aut Tragœdi speciem dabit, verba ipsis rebus aptè accommodabit, decorum ubiq; observabit, & pro rei qualitate interdum ludet verbis atq; jocabitur, interdum angetur & torquebitur, verbisq; flebilibus utetur, velut Mimus aut Histrio facit, qui alio gestu & corporis motu leves & solertes Satyros, alio corporis motu vastum & immanem Cyclopa repræsentat, & inter saliendum movetur. Nostri autem Poetæ Romani longè alij sunt, qui, quod in genere mortalium stultissimum pariter & perniciosum est, sibi mâlunt placere, quàm alijs. Non enim nemo inter nos invenitur, qui dicat: ego mavelim atq; prætulerim delirus & iners scriptor, vanus & ineptus Poëta alijs videri, dummodo mea mala carmina mihi placeant, me delectent, me etjam lateant, & fallant quod mala sint; quàm accuratè sapere, & optimus Poeta revera esset, & ab alijs probari, & interea tamen mihi displicere, & ob id ringi & excruciari. Nimirum his idem accidit, quod furioso illi & insano, qui cum ad mentis sanitatem revocatus esset, maluit in insaniâ & furore totam vitæ ætatem egisse, & nunquam ad mentem fuisse revocatus. Fuit enim Argis vir quidam haud ignobilis, sed multis satis cognitus, qui ex melancholiâ in vacuo ab hominibus theatro, tanquam illud multis spectatoribus varijsq; omnis generis spectaculis spissum & plenum esset, quotidie sessor & plausor erat, sedebat & plaudebat, & credebat sese, admirabiles tragœdos spectare, & miros tragœdos agentes audire, qui interea tamen omnia cetera vitæ humanæ munia & officia recto aliorum sanorum hominum more, servabat, satisq; in reliquis prudens erat. Sanè qui bonus esset vicinus, advenis & exterraneis hospes benignus & amabilis, in uxorem suam comis & placidus, qui servis suis posset ignoscere, inq;

inq; domesticos suos minimè sævire, & *non ad insaniam furenter irasceretur, cum lagenam à se obsignatam comperisset*, læso signo, *à servis furtim resignatam & exhaustam esse, quemadmodum avari* lagenas obsignare *solent, ne furtim evacuentur*. *Deniq;*, qui *non velut alij furiosi, quæ nocitura essent ignorabat, sed* rupem *aut præcipitia*, & puteum *operculo remoto* patentem evitare *& declinare* posset. *In uno illo delirabat, quod quotidiè in vacuum theatrum, ut dixi, prodiret, ibiq; tanquam Tragœdiæ agerentur, lætus sederet, audiret spectaret, & plauderet*. Hic *de quo dico*, ubi amicorum opibus, *impensis* curis, & *studijs, curatus*, refectus *& sanitati rationis restitutus, atram* Melancholiæ bilem *redundantem, & insaniæ furorisq;* morbum meracis Ellebori *potionibus* expulit, *& evacuavit*, atque ad sese, *ad priorem mentis & rationis sanitatem* redijt: Pol, inquit, *vos* amici *vestrâ curâ* me occidistis, *me infelicem reddidistis*, non *autem* servâstis, *utpote* cui *vestris potionibus jucundißimus ille Phantasiæ furor, & incredibilis illa* voluptas *inde nata*, extorta *& excussa sit*, & mentis *rationisq; meæ* error *quo jucundißima spectacula mihi imaginabar, longè*, gratissimus per *medicamenti* vim *mihi* ademtus *est & ablatus*. *Quod insano huic accidit, qui insaniâ suâ delectabatur, idem prorsus nobis accidit, qui malis nostris carminibus & nugis delectamur. Sanè qui Poetico furore ita delectamur, ut nunquam nobiscum melius agi putemus, quàm cum nostris nugis vacamus, & furore Poetico vel maximè insanimus*. Nimirum utile *& salutare* est *nos omnes Poetas, & præsertim me Horatium qui ætate jam provectior sum, nostris malis furiosorum more non ulteriùs gaudere, sed aliquando carminum* nugis abjectis, sapere, & *hoc agere, quod viros honestos decet, & carminis scribendi* ludum pueris *& juvenibus, non autem senibus* tempestivum, *pueris, & juvenibus* relinquere, nec *illa carmina, illa* verba *ulterius* sequi, *quæ cum* Latinis fidibus *lyræ omnium primò in Italiâ à me usurpatæ*, modulandâ *& concinenda sunt, sed, cum turpe sit in carmine versuum numerorumq; harmoniam observare, in verâ actionum & virtutem harmoniam negligere, non versuum, aut carminum amplius*, sed *potius* veræ, *beatæ*, & *tranquillæ humanæ* vitæ numeros, modosque ediscere, *& memoriæ mandare, & omnibus vitijs adfectibus animiq; purturbationibus valeer jußis virtutem, honestatem & prudentiam sectari, & vitæ humanæ tot*

malorum remedia quærere, non profecto invenienda in honoribus aut divitiis, sed in virtute & Sapientiâ. Quo nomine illorum stultitiam demirari satis non possum, qui illis in rebus animi morborum suorum remedia quærunt, quibus morbi illi magis magisq; augentur. Quocirco ego Horatius, cum, quidquid vitæ mihi restat, mihi velim usurpare, illa meditor, quæ ad me emendandum pertinent, & hoc, quod dicam, quotidiè mecum loquor, & tacitus submissâ voce recordor: Si tu, ô Horati morbo corporis Hydrope laborares, ut quo plus potâres, eò plus sitires, & nulla lymphæ copia quantumvis maxima sitim tibi finiret, & exsatiaret; nimirum morbum tuum hydropem medicis narrares, & exponeres, & ab illis promisso munere remedium quæreres. Quid ergo: Tune quando animi Hydrope, animi morbo inexplebili avaritiâ laboras, & quanto plus divitiarum tibi comparâsti, tanto plura sitis, cupis & desideras, adeone tui negligens & prodigus & tuæ animæ saluti quasi infensus es, ut illum animi morbum nulli animæ medico Philosopho confiteri, teq; salutari animæ medicinæ Philosophiæ curandum velis committere? Tu verò in illô morbi hujus remedium quæris, qui illum magis magisq; exasperat. Age autem si vulnus periculosum in corpore haberes, & illud vulnus emplastro ex radice, vel herbâ à chirurgo tibi demonstratâ non solum non levius fieret, sed insuper etjam intumesceret, & exasperaretur; Tu nimirum, Horati, visi planè insanires, illo emplastro ex radice vel herbâ confecto, nihil proficiente, & ad vulnus curandum inutili, fugeres, atq; recusares amplius curari, quo curari non posses. Jam verò in animi tui morbo cupiditate & avaritiâ, non defuerunt qui ejus remedium tibi monstraverint, magnas videlicet divitias, tanquam illis animi cupiditas exsatietur. Et audieras ab alijs hominibus, stultis & vanis, illi, qui magnas opes accumularet, & cui dij immortales res & facultates donarent, illi inquam, pravam, stultitiam, avaritiam, & habendi cupiditatem decedere. Interea cum te decipi & frustrari animadvertis, & illud remedium ad cupiditatem animi tollendam non modo nihil valere, sed illam adhuc magis accendere; Cum, inquam, ex illo tempore, ex quo plenior & ditior factus es, nihilo factus es sapientior, nihilo moderatior, aut liberalior, sed magis adhuc cupidus & avarus; tamen stultus adeo es & vesanus, ut ijsdem monitoribus, ijsdem opum laudatoribus, & instigatoribus ad divitias imposterum velis uti, & divitijs perpetuò inhiare, quæ tamen animi morbum avaritiam non tollunt. At verò si divitiæ,

vitiæ *morbi tui essent remedium, & morbum animi avaritiā* possent *tollere, cum reliquis vitijs* , si te prudentem , & minus te pidum, *minus* timidum *possent* facere, *ut avarorum more, neq; timeres pro opibus collectis, neq; plures opes appeteres, atq; adeo si opes te meliorem possent facere:* Tum verò *rectißimè illas expeteres, &* ruberes, *tibiq; turpe esse duceres,* si quis *alius* in terrâ uno te avarior *& opum cupidior* inveniretur. *Hæc, inquam, & consimilia alia, quæ ad animum meum emendandum, & contra avaritiam obfirmandum pertinent, solus mecum loqui soleo. Inprimis detestari soleo vanitatem avarorum , qui existimant illud, quod tot vigilijs & ærumnis acquirunt suum & proprium esse , cum tamen alienum sit, aut commune saltem, cum ab uno ad alium paulo temporis momento transferatur. Nam* si *illud* proprium *& nostrum* est, quod *nostrum esse dicitur , nimirum quod* quis librâ & ære *ad libram appenso emit &* mercatus est, quædam *etjam rerum* usus *vel usucapio* , si ICtis credis mancipat *& propria facit : sequitur etjam quod* ager *quoq; ille* qui te pascit, tuus sit, *utpote de quo usum & fructum percipis, quamvis illius agri alius quisquam dominus esse dicatur. Sequitur , inquam, omnia illa tua esse, quibus tu uteris, sive agros emas, sive fructus illorum (siquidem illud nostrum est, ut censent homines; quod emimus)* & villicus *ille* OrbI, quando *arat, serit, & semina* occat *& segetes occultat, quæ* mox tibi *ementi* frumenta *sunt* datura, te dominum sentit *& agnoscit. Ille enim dominus est, qui fructum percipit, tu enim fructus illos emis, tu* das nummos, *& pro numis datis* accipis uvam, pullos *gallinaceos,* ova, temeti cadum , *vini mensuram.* Nimirum isto modo, *qui fructus agri, & illa quæ in agris proveniunt* , mercaris, paulatim *ipsum* agrum *emis. Nam agrum quempiam ille demum verè tanquam dominus poßidet, qui fructus inde percipit, non qui titulum habet. Mercaris, inquam, agrum ipsius Orbi, qui* fortassis *ab ipso Orbio (qui etjamnum dominus appellatur)* trecentis nummorum millibus, aut etjam supra, *vel plus eo* emptus est. Quid *enim* refert *vel interest ad agri dominium vel poßeßionem , sive ex illo* vivas , *nuper an olim emto, sive illum* nuper *emeris, cum fructus pretio emisti,* sive olim *illum emeris, cum* numerato *precio agri poßeßionis titulum tibi acquisivisti, quoniam ille qui agrum* olim *emit, non proprijs fructibus, sed emtis fruitur, æquè atq; ille qui fructus ex agro emit , & qui* emtor *est & dominus* arvi alicujus Aricini, *vel* Vejentis, *ille cū aprū capit in agro suo, illumq;* cæ-

nas,

nat, *illum cœnat non tanquam proprium sed tanquam* emtum, *quia agrum olim emit, in quo ille natus & captus est, emtum, inquam, cœnat, & alienum non proprium,* quamvis aliter putat, *& censeat se propria habere, non emta vel aliena , & quando* sub noctem *hiemalem* & gelidam lignis *in agro suo provenientibus* aënum calefactat, emtis *lignis illud calefacit, non proprijs. Nihil enim nostrum vel proprium est quod emitur. Vnde nimirum consequitur , nihil esse nostrum , nihil proprium.* Sed *nimirum hæc ex mediâ Philosophiâ petita à stolido avaro non intelliguntur, qui nimirum illud* usque suum vocat, *illud semper proprium esse censet , quousq; termini agri sui se extendunt, &* quâ *in parte* populus *aut alia quædam arbor* certis limitibus adsita *aut opposita,* vicinorum jurgia refugit *& discernit ; illud, inquam, proprium vocat. Nam illud demum est proprium, quod est perpetuum & sempiternum, nec unquam ab uno ad alium transire potest.* Tanquam proprium quidquam sit, quod mobilis *brevisq;* horæ puncto, *aut paulo temporis momento* nunc prece *per donationem ,* nunc pretio *per venditionem ,* nunc vi, *ut fit in bello,* nunc supremâ sorte *& morte* dominos permutat , & *ab uno* ad alium continuâ successione transit. *Nihil igitur nostrum est, sive aliquid tanquam hæredes , sive jure belli, sive per emtionem, sive per donationem possideamus.* Sic, quia nulli *hominum* datur perpetuus & *proprius cujusdam rei* usus, *& quia unus* hæres *super* alterum hæredem, *qui paulo ante alterius hæres fuit, non aliter* ut *in fluminum decursu* unda super undam venit, *perpetuá consecutione atq; successione: quidnam vanius & stultitius excogitari potest ipsis avaris , qui censent se illud posse possidere tanquam proprium , quod alij habent commune & alienum.* Quid *igitur* prosunt *avaris tot* vici, *tot agri ,* tot horrea , *tot frumentorum acervi ?* quid denique *prosunt campi & saltus* in Lucaniâ *cum* saltibus in Calabriâ adjecti *& continuati ?* si Orcus, *si mors & universalis illa moriendi necessitas , nullis divitijs* exorabilis, *nullo argento aut* auro *placabilis,* grandia cum parvis, *nobiles cum humilibus , reges cum mendicis, unâ & eâdem falce* demetit, *& ex viventium numero aufert. Porro quomodo alij vivant , quid alij agant, meum non est curiosè inquirere, sed hoc meum est, vitam secundum virtutem & rectam rationem instituere, & talem vitæ meæ rationem subductam tenere, quæ cum honestate & hominis officio congruat. Sunt enim alij homines, qui divitias non habent, quidam qui habere non cupiant. Multi enim sunt qui pretiosas* gemmas,

mas, *statuas* marmoreas, *mensas* eburneas, Tyrrhena sigilla *ex Hetruriâ allata,* vestes *purpureas* Gætulo *vel Africano* murice tinctas *vel imbutas, non habeant.* Sunt *etjam* qni *talia* habere non *magnopere* curent. *Hujus rei ratio à me inquirenda non est, utpote* DEO, *non homini cognita. Magna enim est studiorum & voluntatum diversitas etjam in germanis fratribus & geminis.* Cur *autem* alter *duorum* fratrum *cessator & voluptuarius sit, & in amœnis locis in viridarijs &* palmetis pinguibus (*qualia sunt* Herodis *Judæorum regis in Hiericio campo Balsami viridaria*) cessare, *deliciari,* ludere & *preciosis aromatibus* ungi *mâlit &* præferat, *quam opus agere & studiosè vitam colere:* alter *verò fratrum contra sit* dives, *avarus,* & importunus, *ita ut nunquam quiescat nullum tempus intermittat, quo rei augendæ non studeat, in perpetuâ agriculturâ occupetur, &* agrum silvestrem *nondum domitum & mitigatum, radices stirpium & arborum* flammis *exurendo,* & ferro *vel aratro proscindendo domet &* mitiget, *idq; toto die* ab ortu *solis usq; ad prima lumina, usq;* ad umbram lucis *& crepusculum vespertinum. Cur, inquam, inter germanos fratres etjam sit tanta diversitas, hujus rei rationem* scit *& causam novit* Genius humanæ naturæ DEVS, qui *unius cujusq;* astrum, *cum quo quisq; natus est, & constellationem* temperat *& moderatur, qui perpetuus hominis* comes *adjunctus est, cum unoquoq; nostrum nascitur & oritur, qui* in unum quodq; *hominis* caput *mortui* mortalis *est & commoritur; qui pro varietate fortunarum humanarum* vultu mutabilis *est, nunc* albus, *bonus, benignus, commodus, nunc* ater, *malignus & incommodus.* Ego *verò Horatius missis illis, quæ* DEI *sunt non hominis, & ad me non pertinent, illud quod mei officij est curabo, & imprimis avaritiam detestabor* & modico *rerum mearum* acervo, *tantum demam &* tollam, quantum res *& usus vitæ humanæ* deposcet *atq; postulabit,* nec metuam quid heres *post mortem* de me judicet, quod plura *in meâ hereditate sibi relicta* non invenerit, *quàm quæ à me illi data sunt:* & tamen idem *Horatius ego, cum dico me opibus perfruiturum, nepos & prodigus non ero, sed* scire volo, *& vivendo experiar* quantum *homo* simplex, hilaris *& liberalis à prodigo &* nepote discrepet; quantum parcus *ab* avaro, *liberalis à sordido differat* & discordet. *Multum* enim distat, *multùm interest utrum tanquam* prodigus *& luxuriosus, nepotum more bona* tua spargas *& profundas,* anne *verò liberalis sis,* neq; sumtum invitus facias, neq; *avarorum more*

 plura

plura tibi parare labores, teq; quærendi studio exercities; ac potius, exiguo hoc & grato juvenilis ætatis tempore more hominum liberalium raptim perfruaris, sciens paulò post senium, morbos, & mortem instare, ut puer diebus festis Quinquatribus in honorem Minervæ institutis toto eo tempore quod ei datur ad animi remißionem raptim perfruitur, sciens ad intermissa studia & labores finito festo sibi revertendum esse. Interea ego Horatius amplißimos honores aut maximas divitias mihi non expeto: tantum illud à Dijs immortalibus contendo, ut domus mea turpes sordes & immunda paupertas à me absit. Nihil n. mea interest utrum ego magnâ nave, an parvâ nave ferar, utrum magnis an parvis opibus vivam; tantum hoc mihi contingat, ut sive in parvâ sive in magnâ navi ferar, unus & idem semper ferar, sive in magnis sive in parvis opibus constitutus sim animum meum non permutem, non magnis efferar, non parvis deijciar, sed nunquam movear, nunquam concutiar aut perturber. Et hæc meum mediocritatis votum Dij immortales ex voto mihi abundè satis superq; perfecerunt. Nos enim non agimur nostrâ navi Aquilone secundo, & prospero, velis tumidis aut inflatis: non interea tamen adversis ventis Austris ætatem ducimus & perpetuò conflictamur: non inquam, nimium opulenti aut fortunati sumus, nec interea tamen etjam nimis infortunati & infelices, sed in mediâ quasi fortunâ constituti sumus: Nimirum viribus animi & corporis, ingenio, & animi bonis, specie & formâ corporis, virtute, loco, & condicione & re deniq; atq; opibus, si ad primos, & fortunatissimos referamur, tunc inter illos primos sumus extremi, si ad extremos, & minus fortunatos referamur, tunc in extremis usq; sumus priores semper sumus primi, ita ut inter primos postremus, inter postremos primus sim, & inter utrosq; quasi medius. Quæ quidem vitæ condicio est omnium optima & beatißima. At verò, quando contra avaritiam, me semper pugnaturum dixi, & ipsum avaritiæ vicium longè, lateq; ex animo meo profligavi, non idcirco sine omni peccato sum. Plura enim sunt vitia hominum, nec uno sublato reliqua statim auferuntur. Nam si mihi dicam: tu Horati avarus non es: & ob id reliquis etjam vitijs defunctus es. Abi cum hâc absurdâ ratiocinatione. Quid enim? anne jam unà cum illâ avaritiâ cetera simul vitia aufugerunt? minimè verò; Anne animus ventosâ illâ & inani ambitione & honoris cupidine tibi caret? anne tuum pectus mortis metu & formidine & irâ alijsq; perturbationibus tibi vacat? anne superstitionem omnem, nimirum insomnia,

somnia, magicos terrores & *fascinationes*, miracula *mundi & prodigia*, sagas, & *veneficas*, nocturnos lemures, & *Dæmonum spectra*, & portenta *illa*, *quæ* Thessali *venefici incantamentis suis edunt*, *nunquid, inquam horum omnium superstitionem* irrides & *contemnis? anne dies tuos* nataleis & *annos senectutis propiùs accedentes* gratè *libenterq;* numeras, *nec perturbaris, senio morbis & morte approperante? nunquid* fis leniot *mitior, liberalior* & melior senectâ accedente? *Nimirum hæc omnia vitia ambitio, metus, ira, superstitio & cetera, sine avaritiâ tibi adesse possunt.* Quid *autem* te juvat, & *quid tibi prodest, quod* de pluribus spinis una *spina è corpore tuo* exemta *sit, quod de tot vitijs animi tui unum avaritiæ vitium tantum* propulsaveris. *Illud ergo operam dabis, ut non solum uno avaritiæ vitio careas, (quamvis illud inter omnia præcipuum sit) sed omnes animi morbos radicitùs evellas. Quare, ô* Horati, *si hâc senili ætate juvenili more amplius rectè* vivere *non potes*, si nescis *amplius ut adolescentes delitiari, voluptatibus uti, jocosa carmina & alia juvenilia tractare*, decede & *concede illa juvenibus* peritis, *qui illa rectè tractare poßit, & decentiùs peritiusq; exercent Cum enim juvenis esses, in carminibus amatorijs omnibusq; juvenilibus satis te exercuisti*, satis lusisti, satis edisti & bibisti: *jam vero* tibi tempus est abire, *tempus ut hac senili ætate juvenilia ludicra & nugacia relinquas, & ab illis abeas, teq; ad graviora & honestiora conferas*, Ne *scilicet si senex ad juvenilia velis reverti, joca repetere, convivia amoresq; frequentare, adolescentum aut juvenum* ætas *quæ longè* decentiùs, *longè aptiùs rectiùs, & opportuniùs* lasciva atq; *petulans est, te* largius æquo & *magis* potum *quàm par est*, irrideat, *aut ludificetur*; aut *etjam verberibus malè mulctatum* pulset.

FINIS LIBRI SECVNDI EPISTOLARVM.

HORATIVS
E. LVBINI


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm